VAPOR EMOLLIENS.

℞. Herbarum emollient. ℳj.
Lactis ℔j.
Coquantur.

Usus. *Dat vaporem emollientem & relaxantem unde in gravedine, angina & morbis vaginæ & uteri a rigiditate aut siccitate ortis convenit,*

EMBROCATIONES.

Embrocatio est liquor medicatus, qui ex alto vel guttatim vel continente rivulo in partem ægrotam depluit.

Etiam vocatur *stillicidium* vel *Embroche.*

Materies stillicidii est omnis liquor medicatus, simplex vel compositus.

Machina pro stillicidio angustum collum & adeo figuratum habeat, ut liquidum medicatum tantummodo guttatim depluere possit. Quo altius guttæ depluunt eo efficacius partem ægrotam commovent & concutiunt.

In

In multis thermis naturalibus talia ſtillicidia jam exſtructa deprehenduntur. Ex tempore autem parari poſſunt ſi in domus area ægrotus ſedeat & vas pro ſtillicidio ad marginem tecti, vel ſub altiſſima feneſtra adeo ſuſpendatur, ut guttæ deorſum cadere poſſint.

Usus *Stillicidii in morbis & tumoribus articulorum refractariis & pertinaciſſimis obſtructionibus tanti eſt, quantus a nullo alio remedio exſpectari poſſit. Efficaciſſime enim totam partem & materiam morboſam ſtagnantem commovet & diſcutit.*

EMBROCATIO DISCUTIENS.

℞. Herbæ altheæ. Miv.
— menthæ.
— matricariæ.
Summit. Abſynth.
Flor. Centaur.
— Lavendul.
— Chamæmel. ãã Miij.
Raſ. lign. Saſſaſ. ℥ij.
Bacc. lauri.
— Juniperi aa ℥iv. Cum

Cum ſ. q. aquæ com. coq. vaſe clauſo per dimidiam horam. Collaturæ libr. xxiv. admiſce.

Salis ammoniaci ℥iv.

Spiritus Juniperi ℔ij.

Usus. *Liquor pro ſtillicidio, qui modice calefactus, apto vaſi immiſſus, de hujus cannula ex alto deſtillet in partem affectam, nudam: huic autem ſuppoſita ſit pelvis, liquorem munere ſuo functum exceptura. Stillicidio per horam continuato, æger in lectum calidum reponatur, parsque affecta veſicis eodem decocto calente repletis undequaque applicatis, foveatur ut aliquot horarum ſpatio ſudet. Denique fricetur eadem cum pannis laneis, ſiccis, calidis, hiſce ipſis obvoluta a frigore defendatur. Repetatur eadem ſingulis diebus per aliquot hebdomadas, decoctumque quarta quavis embrocatione renovetur. Sic paralyſis, tumores indurati articulares & anchyloſes curatæ fuere. Vide* LE DRAN *obſervationes chirurgicas.*

SUF-